DE

VI MORBORUM SALUTARI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE ADSEQUENDIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES FRID. SPROEGEL

DERENBURGICO-HALBERSTADIENSIS

DIE XXVIII. M. SEPT. A. MDCCCXIX.

H. L. Q. C.

BEROLINI,

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO,
ERUDITISSIMO ET EXPERIENTISSIMO,

FRIDER. HUFELAND

DOCTORI MEDICINAE AC CHIRURGIAE, PROFESSORI ORDINARIO PUBLICO IN ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA ATQUE EXTRAORDINARIO IN UNIVERSITATE BEROLINENSI, CONSILIARIO AULICO, PLURIUM SOCIETATUM LITTERARIUM SODALI ETC.

HOCCE REVERENTIAE ET GRATI ANIMI

TESTIMONIUM

D. D. D.

AUCTOR.

De vi morborum salutari.

§. I.

Observationes medicorum et experimenta, quae a remotissimis inde temporibus, ingenio Hyppocratico et animo opionibus praejudicatis haud occupato instituta, ad artem medendi tam stabiliendam quam augendam nobis tradita sunt, aperte nos edocent, in magna malorum turba quibus genus humanum obnoxium ést, morbos quosdam exstare, qui in organismum effectum minime noxium ac perniciosum exerunt, nec ullo modo vitae sanitatique periculum afferunt, sed potius inter salutaria naturae conamina ac felices virium vitalium actiones referri merentur, quorum vi atque effectu constitutio labefacta corrigitur, singulorum organismi systematum harmonia ad integrum restituitur; quorum efficacia morbi praesentes et arti insuperabiles removentur, vel saltem arcentur et aegroto tolerabiliores redduntur; qui rectam haud raro medendi viam medico indicant, hujus operam adjuvant eamque non raro plane supervacuam reddunt. Morbi igitur occurrunt, qui etsi noxis externis et vi vitali imminutae originem debent, nihilominus tamen viam quasi aperiunt, qua sanitas recuperetur, opportunitas morbosa extinguatur, salutares totius organismi commutationes inducantur, sic ut morbo iamiam superato, haud rero meliori ac firmiori sanitate quam antae fruamur. Qui morbi critici, salutares vel et medicinales vocantur.

§. II.

Notio igitur salubritatis morborum minime absoluta sed ut medicamentorum notio mere relativa est. Nam sicuti effectus remediorum a gradu incitabilitatis vel altiori vel inferiori, ab aetate, sexu, temperamento, animi conditione, consuetudine ac idiosyncrasiis; porro a coelo et tempestatum vicissitudinibus, a vitae genere, a ratione tam quantitaviva quam qualitativa remedii ipsius et a compositione ipsius nec non a loco cui applicatur et denique a natura morbi praesentis dependet, sic etiam salubritas morborum variis conditionibus obedit. Morbus per se sine ulla dubitatione malis adjudicatur, et, quatenus ab arte fieri potest curationem radicalem atque perfectam sanitatis restitutionem utique exposcit. Homo qui integra et quasi normali sanitate gaudet neque morbo, neque medico, neque remediis indiget, cui e contrario aer purus ac salutaris, alimenta et vestimenta constitutioni, aetati et consuetudini bene accomodata, exercitationes animi et corporis quae viribus ejus respondent, nec non debitae animi relaxationes et necessaria corporis quies ad bonam sanitatis conditionem tuendam conveniunt. Cum autem plurimis sanitas tantum relativa sit, cum quilibet fere homo vitam propriam agat et individuali sanitatis gradu eodemque variis vitiis obnoxio gaudeat, salubritas morborum a constitutione quoque corporis inviduali dependet, qua de causa ad salubritatem morbi cujusdam rite dijudicandam ut corpus peculiare sedulo consideretur necessario requiritur. Sic v. c. diarrhoea, haemorrhagia, exanthema, febris, ulcus, apostema alterum in corpus salutarem in alterum periculosum imo lethalem effectum exerere possunt. Natura quoque morbi praesentis, nec non eorum qui superveniunt characterem ejus salutarem statuit; diarrhoeae, haemorrhagiae, salivationes, in morbis ex aucta incitabilitate et agendi facultate exortis v. c. in febre inflammatoria, in inflammationibus topicis alium habebunt

eventum, quam in morbis quibus debilitas, resolutio, torpor vel humorum dissolutio characterem posuit, v. c. in febre putrida, in scorbuto, in quibus malignitatem morbi indicant, periculum augent et prognosin dubiam, curationem autem difficiliorem reddunt. Quilibet morbus salutaris erroribus ab aegroto commissis, cibis et potionibus vel nimis irritantibus, vel debilitantibus, observatione praescriptorum medici minus strenua salutarem eventum amittere potest, et interdum a medico ipso, qui praemature et remediis fortioribus naturam adgreditur, morbus salutaris sive criticus mutationem in pejus inducere potest, i. e. salutaria naturae conamina turbantur, unde morbus iterum complicationes imo eventum sinistrum contrahere potest. Sic v. c. epistaxis critica incaute suppressa, quae interdum vaporibus, narium titillatione et emunctione adjuvanda ac promovenda esset, febrem vasculosam denno accendere, congestiones sanguinis ad caput augere et multis aliis morbis, inflammationibus, apoplexiis rel. ansam praebere potest. Simili modo morbus salutaris, qui male negligitur, vel ubi medicus spectatorem agit, etsi obstacula removere posset, ubi conamina naturae vehementiora sunt, nec satis caute cohibentur, ubi vires labefactari incipiunt nec refocillantur, ab omni effectu salutari destitui potest. Sic haemorrhagia salutaris, inprimis in exanthematibus acutis modum facillime excedit, diarrhoea naturam colliquativam contrahit, apostemata critica haud raro calorem ad auctum, cataplasmata emollientia, quae leniter irritent, requirunt et mature aperiantur interdum necesse est. Vomitus criticus haud raro emetica mitiora, potiones tepidas et emollientes, alvi ductiones et infrictiones remediorum antispasmodicorum postulat. In exanthematibus criticis diligentissima refrigerii vitatio ideoque regimen admodum calidum, blanda diaphoretica ex usu sunt, contra vero quaevis adstringentia et exsiccantia v. c. plumbum non sine magno periculo adhibentur. Porro aetas quoque

et vitae periodi haud raro salubritatem morborum regunt. Sic inter omnes constat, haemorrhoides aetate infantili sanitatem infirmam, graviora in fabrica partium vitia et morbos chronicos nunciare, quamvis haemorrhoides in viris ad sanitatem relativam conservandam plurimum conferant. Haemorrhoides gravidarum inprimis coecas ac dolorificas abortum inducere posse, tempore autem quo menses cessare incipiunt foeminis quibusdam saluberrimas esse compertum est. Ex his omnibus intelligitur in dijudicanda morbi alicujus salubritate multas et varias conditiones considerandas venire.

§. III.

Natura medicatrix et ars hujus ministra haud raro morbis ad morbos sanandos utitur, saepissimeque a natura novus morbus provocatur ut praesens sanetur. Hippocrates [1]), diarrhoeam pertinacissimam, vomitu ultro exorto, sponte evanescere scriptum reliquit. Morbi nervorum chronici feliciter tolluntur simulac exanthemata v. c. scabies, vel ulcera, apostemata, diarrhoeae, dysenteriae supervenerint. Reilio [2]), naturam quemlibet morbum hunc in finem in auxilium vocare posse videtur. Roeschlobius [3]), contra huic sententiae repugnat, inquiens „nonne natura temere ageret, si sanitatem morbo efficere studeret?" — Sin autem observationes veterum medicorum de morbis eorumque auxiliis diligentius consideremus, quae omnino omnium certissimae accuratissimaeque sunt, siquidem medici antiquiores phaenomena animo ab omni occupatione libero observa-

---

1) aph. Lib. v. aph. 15.

2) Fieber Lehre Bd. 4 §. 167.

3) Magazin zur Vervollk. der Medicin. Bd. 7. St. 2. p. 26.

bant, veras observationes sine omni arte et consilio a veritate alieno nobis tradiderunt, quoniam ipsa natura tunc tempore in morbis quoque aequabilius agebat sibique ipsi melius respondebat, et etiam corpora propter meliorem vitae consuetudinem, qua homines pristini aevi utebantur, minus debilitata erant; si igitur observationes illas diligentius consideremus, facile patet, morbos haud raro auxilia ad morbos expellendos efficacissima praebuisse. Medici quoque naturam hac in re imitantur quippe qui novum morbum excitare et sic praesentem abigere student et quaelibet fere curatio morbus artefactus nominari potest, siquidem omnia fere remedia nostra novum morbum provocando praesentem tollunt.

§. IV.

In hac mea dissertatione morbos, quibus natura medicatrix ad salutares in organismum effectus saepissime utitur, enumerare et theoriam sive modum quo morbi tam salutarem vim exercere possint, breviter explicare conabor.

§. V.

Morbus sane frequentissimus, qui et experientia medicorum tam veterum quam recentiorum teste salutiferum subinde effectum in organismum exerit, febris est, morbus qui omnia corporis systemata praecipue vero irritabile ac sensibile ad validiorem actionem excitat, et sic maximas atque merificas mutationes inducere potest. Sententiae praestantissimorum medicorum testantur, e febribus imprimis febrem intermittentem vernalem, quae plerumque typum tertianum servat, mira eademque salutari efficacia pollere, cujus ope haud raro temperamenta hominum mutantur, incrementum et omnes corporis evolutiones adjuvantur et

accelerantur [1]); attamen non solum mutationes hujuscemodi universales inde efficiuntur, sed etiam morbi praesentes felicissime sanatur optimeque Celsus „febrem ipsam, quod maxime mirum videri posset, saepe praesidio esse" tradidit [2]). Huc pertinent tumores omnis generis, obstructiones viscerum [3]), indurationes et veri glandularum scirrhi [4]), qui interdum jam inde ab longo tempore corpus infestabant, nec raro febri antegressae originem debent. Porro convulsiones, affectus spastici ipsaque epilepsia [5]); hypochondria, hysteria et resolutiones nervorum [6]; quod vero maximam admirationem meretur, morbi psychici vel pertinacissimi febre intermitente exorta, interdum feliciter sanantur [7]). Dolores varii generis, ischiades, lumbagines, febre hujuscemodi accedente haud raro feliciter tolluntur [8]), nec minus humores in telam cellulosam effusi ibique stagnantes, aquosi et serosi, perfecte absorbentur [9]).

§. VI.

Neque vero solae febres intermittentes tam salubres se praestant, sed etiam aliae, acutae con-

---

1) Reil Fieber-Lehre Bd. 1. §. 113. — Hufeland Syst. der pract. Heilk. Bd. 1. p. 105.

2) Celsus de remedica lib. II. cap. 8.

3) Hufeland. l. c. — Reil l. c.

4) Amelang in Hufeland Journal d. pr. Heilk. Bd. 18. St. 2.

5) Hippocratis aph. sect. v. aph. 5. 70. Coac. III. 80. Fr. Hoffmann medicina rationalis Tom. III. p. 410. — Bremer diss. de virtute febris in sanandis spasmis.

6) Reil l. c. — Fr. Hoffmann l. c. — Lentin observ. medic. Fasc. I. obs. 21.

7) Stoll. de cognos. et curand. febribus Tom. I. p. 50. — Reil Fieber-Lehre Bd. 4. §. 71.

8) Stoll. l. c. — Hufeland l. c.

9) Metzler von der Wassersucht. Hufeland l. c.

tinuae, remittentes interdum non minus feliciter in morbos praesentes agunt. Sic v. c. ephemera satis valida contagium receptum extinguere et e corpore expellere potest. Omnes febres exanthematicae inprimis quae characterem synochae mitioris prae se ferunt, salutares sunt, quippe quae eruptionem exanthematis adjuvant et accelerant, decursum ejus dirigunt, et criticas actiones promovendo aequilibrium iterum restituunt, sicuti quoque aliis morbis corpori perniciosis medentur[1]. Accedunt febres arthriticae, rheumaticae, catarrhales, quae transpirationem suppressam redintegrare solent eoque modo statum morbosum tollunt, cujus, re accuratius perpensa, effectus sunt. Quae fere eadem de febre nervosa, inprimis inflammatoria sic dicta valent, quae saepius stagnationes reserat, varias anomalias tollit[2]) et etiam vias obctructas aperit.

§. VII.

Ex his facile intelligi potest, febrem omnino vim salutarem exerere posse, quae, etsi relativa sit et a multis ac variis rerum conditionibus dependeat, in genere tamen ad auctiorem ac fortiorem sanguinis atque humorum circuitum, ad penitiorem singularum partium sympathiam atque consensum nec minus ad mutationem materiae ac mixtionis eius febre effectam reducenda videtur. Minime etiam actiones aliorum organorum fortiores, aliorum debiliores praetermittendae sunt.

§. VIII.

Etsi paulo ante diximus, vim salutarem febribus inesse, quatenus eruptionem exanthema-

---

1) Dr Durr. Hufeland Journal d. pr. Heilk. Bd. 28. St. 5. — Fr. Hoffmann Opusc. p. 23.

2) Dr. Gronbach de vi febrium solvente.

tum acutorum v. c. variolarum, morbillorum rel. adiuvarent atque accelerarent eoque modo graviora mala averterent, tamen non solum acutis laus illa convenit, sed etiam chronicae cutis efflorescentiae virtute illa minime destitutae sunt. Scabies interdum amaurosin [1] epilepsiam, melancholiam [2]) tollit; scabies critica quae dicitur haud rara in typho observata est, quod ipse expertus sum, cum anno millesimo octingentesimo decimo tertio in nosocomio militari chirurgi munere fungens a typho correptus, scabie minime ex infectione contracta, quae sub finem accessit, felicissime consanescerem. Eadem valent in febribus putridis [3]) sicuti in intermittentibus exanthemata scabiei criticae similia ab auctoribus passim commemorantur. Mutzelius et alii [4]) scabiem inoculatione insitam non solum melancholiam sed alios quoque morbos sanasse contendunt. Herpes [5]) aliaque exanthemata similia, inpetigo, [6]) achores, favi [7]) rel. saepe statis anni temporibus redeuntia pariter etiam egregium sanitatis emolumentum ferre dicuntur. Salubritas horum exanthematum in excretione materiae morbosae, vel antea iam corpori infestae, vel in decursu morbi genitae, posita videtur. Praeterea autem exanthemata stimuli instar cutim excitant et sic ex lege antagonistica praeternaturales aliorum organorum actiones tollunt, omniaque corporis systemata ad statum normalem reducunt.

---

1) Richter med. chirurg. Bemerk.

2) Fr. Hoffmann Opusc. p. 25. — Reil Fieberlehre Bd. 4. §. 71. — Guldner von Lobes Beobach. über die Krätze p. 71.

3) Autenrieth Versuche für die practische Heilk. Heft 1. p. 244.

4) Schmucker vermischte chirurgische Schriften Bd. 1.

5) Fr. Hoffmann med. rat. Tom. III. p. 210.

6) 7) Callisen Chirurgia Pars I. p. 366.

§. IX.

Erysipelas raro tantum criticam dignitatem habere videtur, etsi nonnulli in palpitatione cordis, dysenteria, [1]) mania et etiam in phthisi exanthema erysipelatosum, quod morbum solvit se observasse contendunt. Reilius, [2]) „interdum, ait in aliis morbis chronicis, v. c. in artritide, affectionibus asthmaticis, cephalalgia et colica erysipelas inprimis habituale morbus salutaris esse potest."

§. X.

Inflammationibus etiam natura in salutem laborantium utitur, quibus nimirum suppurationem excitat cuius ope corpora peregrina e corpore expelluntur. Praeterea inflammationes celerrimam vulnerum glutinationem efficiunt, iacturam substantiae iterum resarciunt, coalitum partium necessarium v. c. sacci herniosi, marginum labii leporini. tunicae vaginalis cum testiculo adiuvant, et mortua a vivis separant. Sic etiam non sine emolumento auxiliis pharmaceuticis atque chirurgicis inflammationes artificio provocamus, quae v. c. in maculis corneae, in ulceribus etc. ex usu sunt. Tetanus qui sub coelo calidiori facillime vulneribus supervenit, inflammatione artefacta impeditur. Sic etiam inflammationem artificialem excitamus ad glandulas induratas v. c. bubones, desorganisationes cutis locales, feliciter auferendas; iisdem emplastro cantharidum effectis utimur in erysipelate et exanthematibus retropulsis ad ea in cutem revocanda, sicuti etiam ad inflammationes ab internis ac nobilioribus organis abigendas, quo autem in casu ubi requiritur vena antea secatur. Sic v. c. ad suppurationem va-

---

1) Hufeland Journal Bd. 7. St. 1. p. 61

2) Fieberlehre Bd. 2. §. 119. 120.

validiorem in vulnere a morsu canis rabidi efficiendam, inflammatio artificialis omnium auxiliorum praestantissimum est.

§. XI.

Quemadmodum autem natura febres, exanthemata et inflammationes non sine singulari fructu et ulilitate in corpore provocat, sic quoque per haemorrhagias varii generis morbos praesentes sanat vel instantes feliciter avertit. Nam, criticis sic dictis in febribus saepe obviis praetermissis, haemorrhoides atque epistaxis haud raro salutarem effectum exerunt ideope natura his sanguinis evacuationibus ad sanitatem conservandam utitur. Etsi periodicus ille sanguinis fluxus in homine sano minime necessarius ideoque vis eius salutaris tantum relativa est; etsi plures (Alberti, Stahl) in laude haemorrhoidum modum excedunt, et homines haemorrhagia illa laborantes vitae regimen accuratisimum observare coacti sunt, experientia tamen docuit haemorrhoides omnino hominibus quibusdam praesidio esse. Fluxus haemorrhoidalis haud raro stagnationes et congestiones sanguinis, quibus inprimis systema venae portarum obnoxium est, ideoque oppilationes ventriculi, hepatis, lienis et intestinorum tollit eoque modo viscerum tumores, cardialgiam, colicam. morbum hypochondriacum, dolores renum et vomitum persanat, [1] congestiones sanguinis ad pulmones arcet, [2] unde facile patet, dyspnoeam, asthma, cordis palpitationes, impetus et congestiones sanguinis ad caput fluxu haemorrhoidali saepius prosperrime solvi. Subinde capitis dolores,

---

1) Fr. Hoffmann med. rat. Tom. III. p 197. — Alberti diss. de haemorrhoidibus medicina hypochondriacorum, — Reil Fieberlehre Bd. 3. 85. —

2) Reil l. c. Fr. Hoffmann l. c.

aurium susurrus, amaurosis aliique oculorum morbi nec minus soporosi et apoplectici, fluxu haemorrhoidali prodeunte, evanescunt [1]) Quum vero haemorrhoides fluentes plethoram abdominalem tollant et ad normam naturae dirigant, secretio etiam bilis secundum leges naturae succedit, ideoque icterus, morbus hypochondriacus, melancholia, mania, epilepsia aliaeque spasticae affectiones, quae a bile atra et crassiori emanare dicuntur, [2]) nec non arthritis [3]) et exanthemata, quippe quae saepe laesae hepatis functioni originem debent, interdum feliciter abiguntur.

§. XII.

Epistaxis etiam in corporibus aetate florentibus et, plethora excepta, ceteroquin sanis, saepe promptissimum auxilium praebet, congestiones sanguinis ad caput arcet ideoque in febribus inflammatoriis, in inflammationibus topicis, v. c. cerebri, pulmonum, oculorum, in exanthematibus acutis, in capitis laesionibus saluberrima est; vertiginem, aurium susurrum [4]) soporem, spasmos et convulsiones, [5]) aphoniam, sanguinis e naribus stillicidium tollit, et apoplexia a hominibus, qui sole vehementius ardente corpos exercitare coacti sunt, avertitur, et periculum e suppressis haemorrhoidibus vel fluxu menstruo ortum imminuitur atque aufertur. [6]) Sanguinis profusiones e pulmonibus, tractu intestinali nec non per vias urinarias raro salutares sunt, etsi apud auctores

---

1) Hildanus. Cent. VI. Obs. 28. p. 531.

2) Hippocrates lib. VI. aph. 11. 21. Coac. n. 478. — Galenus lib. VI. 29. — Alpinus de medic. method. lib. II. p. 371. —

3) Forestus lib. XXIII. obs. 4.

4) Hippocrates lib. VI. aph. 60.

5) Fr. Hoffmann med. rat. Tom. III. p. 408. Opusc. p. 22.

6) Reil Fieberlehre Bd. 3. §. 35.

exempla huius rei leguntur. Sanguinis e vulneribus profluvium febrem vulnerariam et inflammationem minuit recteque in morsu canis rabidi sanguinis e vulnere profluvium quam diutissime sustentandum ab omnibus suadetur.

§. XIII.

Accedunt diarrhoeae, quibus experientia teste natura interdum ad sanitatem corporis tuendam utitur. Variae materiae inutiles ac depravatae per intestinum rectum e corpore eiiciuntur. Quaelibet diarrhoea idiopathica vel etiam consensualis, cuius ope sordes quae intestinis inhaerent, et aliis morbis occasionem praebuerunt, cum levamine eguruntur et in genere natura et indoles morbi alicuius gravioris in melius convertitur, sic ut exoptatum ad finem perducatur, salutaris vocari potest. Cum tractus intestinalis, officina concoctionis, magno vasorum exhalantium apparatu praeditus sit, et alii succi concoctioni inservientes, v. c. bilis in eum effundantur et cum plurimis aliis organis commercium habeat, facile omnino elucet, motum peristalticum adauctum et frequentiores alvi deiectiones non sine levamine, sed egregio cum emolumento a natura et arte effici posse. Ex omnibus diarrhoeae speciebus stercoralis et biliosa imprimis salutares sunt, quibus nimirum varia contenta corrupta et etiam bilis, propter copiam suam nociva, educuntur itaque causae removentur quibus varii morbi originem debent. Sic v. c. febris, cardialgia, colica, status gastricus ac biliosus, hepatitis, icterus, [1]) morbique consensuales, dolores capitis et artuum, auditus difficultas, [2]) dolores laterum rel. diarrhoea accedente feliciter tolluntur. Diarrhoea sangui-

nea

---

[1]) Haase über chronische Krankheiten Bd. 3. 232. 233.

[2]) Hippocrates lib. IV. aph. 23. 60.

nea, haemorrhoidalis, menstrualis, lochialis, plethoram abdominalem minuunt, morbos inde profectos, solvunt et instantes v. c. inflammationem avertunt. Diarrhoea modica, sanguinis congestiones ad caput arcendo dentium eruptionem adiuvat, sicuti etiam in stadio desquamationis variolarum morbillorum, bonis signis accensetur. [1]) Porro in febribus inflammatoriis, nervosis, gastricis et biliosis, in inflammationibus topicis, v. c. cerebri, oculorum, [2]) in secretione muci atque sevi adaucta v. c. in blennorrhoea ventriculi, [3]) in lippitudine oculorum, [4]) copiosior alvi excretio ex usu esse potest. Natura morbos hydropicos etiam, humores aquosos [5]) fluxu alvino paulo diuturniori evacuando, sanat, dummodo vires aegroti adhuc vigeant. Melancholiam, maniam, epilepsiam, resolutiones nervorum alvi fluxu atque dysenteria sanationem experiri Hippocrates [6]) Celsus, [7]) Fr. Hoffmann, [8]) Reilius [9]) et alii viri praestantissimi testantur.

§. XIV.

Vomitus salutaris nostris temporibus rarius observatur quam olim; apud veteres enim exempla omnino non desunt, vomitum a natura in salutem institutum esse. Sic Hippocrates [10]) vomitum spontaneum diarrhoeam pertinacissimam sa-

---

1) Hufeland Syst. d. prakt. Heilk. Bd. 2. p. 126. 150.
2) Hipp. lib. VI. oph. 18.
3) Reil Fieberlehre Bd. 3. §. 224.
4) Hipp. Coac. lib. II. cap. 6.
5) Hipp. lib. VI. aph, 29. Coac. lib. II. cap. 19.
6) Lib. VI. aph. 5.
7) Lib. IV. cap. 3.
8) Med. rat. Tom. III. p. 333, 334.
9) Fieberlehre Bd. 4. §. 71.
10) Lib. VI. aph. 15.

navisse, narravit. Ubi ventriculus a nimia ingestorum copia oppillatus est vomitu omnia incommoda inde pendentia cito citius saepissime tolluntur. Porro in lactantibus certa quaedam vomitus species occurrit, quae salutaris aestimatur, ubi infans lac coagulatum nec amplius nutribile per vomitum reiicit, sic ut digestio adiuvetur et nutritio sustineatur. [1]) Reilius [2]) emesin in blennorrhoea ventriculi salutarem effectum habere posse, opinatus est.

§. XV.

Etsi salivatio rarissime idiopathica est, sed fere semper alios morbos, quorum vel causa vel effectus est, comitatur, nihilominus tamen huic etiam magna virtus inesse videtur. Salivatio illa artefacta, inprimis hydrargyro excitata, hoc loco minime sub censum venit, sed sola tantum spontanea cuius ope natura ipsa in morbos agit. Criticum ac salutare huiuscemodi profluvium laudatur inprimis in paralysi, hemiplegia, vertigine, fluore albo, amaurosi, hydrope, scorbuto, epilepsia, hydrocephalo interno, et in dentium doloribus. [3]) Vicatus [4]) paraplegiam salivatione sanatam vidit, nec non asthma; Lorryus [5]) exemplum narrat, quo melancholia ptyalysmo accedente levabatur, Perfectus [6]) autem melancholiam salivatione penitus evanuisse, asserit. Apud Nahu-

---

1) Fr. Hoffmann med. rat. Tom. III. p. 408.

2) Fieberlehre Bd. 3. §. 224.

3) Ideler über die Kriesen p. 163. — Sammlung. auserl. Abhand. Ed. 13. p. 349.

4) Sammlung. auserles. Abhand. Bd. 13. p. 337.

5) De melancholia et morbis melancholicis Tom. II. cap. 6

6) Auserlesen. Fälle von verschiedenen Arten des Wahnsinns p. 12.

sium [1]) retentionem urinae salivatione solutam esse legitur. Praeterea multi alii morbi v. c. varialae, morbilli, febris nervosa, putrida et intermittens fluxu salivali critico modo sublati sunt, cuius rei multa exempla apud auctores exstant. [2])

§. XVI.

Quamquam natura omnia systematis nervosi mysteria ita nobis abscondidit, ut actiones eius atque in alia organismi systemata vim nunquam clare intelligere valeamus, experientia tamen compertum habemus, affectiones etiam nervosas interdum salutarem in corpus effectum exerere posse, cuius rei exempla fere in omnibus auctoribus occurrunt. Ex sententia Fr. Hoffmanni [3]) e spasmis et excretionibus adauctis, quae motus illos praeternaturales interdum subsequntur salutaris effectus et optatus morbi aventus diiudicari potest, ita ut spasmi ad crisin efficiendam nonnunquam necessarii esse videantur, ut etiam Reilio [4]) de perturbationibus criticis disserenti visum est. Quod inprimis in epilepsia et chorea St. Viti cognoscitur. Quodsi nimirum spasmi in morbis modo commemoratis violento modo v. c. vinculis, compressione, minis etc. supprimantur, anxietas ceterique graviores affectus augentur et proximus paroxysmus miseros aegrotos utplurimum eo vehementius exercet. Praeterea alii systematis nervosi morbi qui psychici dicuntur, statum corporis interdum mirum in modum commutare et alios morbos, qui omnibus remediis pertinaciter resistunt, tollere valent. Sic

---

1) Samml. auserles. Abhand. Bd. 5 p. 502.

2) Ideler l. c. p. 163 — 68. — Nicolai Anhang zur Pathologie Bd. 2. p. 283, 302.

3) Med. rat. Tom. III. p. 400.

4) Fieberlehre Bd. 4. §. 35.

v. c. Tissotus [1]) morbum hydropicum, Schmidtmannus [2]) febrem hecticam, melancholia accedente, evanuisse nobis tradiderunt. Exempla etiam non desunt, quibus unus morbus systematis nervosi in alterum eiusdem indolis feliciter egit. Heineken, [3]) melancholiam, tetano aegrotum invadente, sanatam esse memoriae tradidit. Usus quotidianus omnes sine dubio iam docuit, aegrotos morbis nervosis et psychicis laborantes epidemice grassantibus et aliis etiam minus obnoxios esse, ab his autem correptos, interdum sanitatem recuperare.

§. XVII.

Vires naturae medicatricis nunquam satis admirari possumus, quippe quae non solum morbos hactenus commemoratos sed etiam animi deliquium in usum vitae et sanitatis convertit. Varii iidemque pertinacissimi morbi animi deliquio non solum leniuntur, sed feliciter etiam sanantur. Acerbissimi dolores simulac aegrotus in animi deliquium, quasi in somnum placidissimum incidit, sedantur. Haemorrhagia sponte inhibetur, simulac syncope accedit.

Pessimae febres nervosae et pestis ipsa haud raro sub animi deliquio, sine omni artis auxilio et naturae ipsius beneficio critice solvuntur etsi illas naturae actiones nunquam intelligemus. Asphyxia, phaenomenon omni nostra admiratione dignissimum, homines febribus malignis adflictos, de quorum salute omnes et medicus ipse desperabant, postquam per aliquot dies imaginem mortis praebuerant, ab omnibus affectionibus liberat et integram sanitatem iis reddit. Virium ad sum-

---

1) Sämtliche Schriften Bd. 4. p. 234.
2) Hufeland Journal Bd. 7. St. 4. p. 4.
3) Hufeland Journal Bd. 7. St. 3. p. 119.

mum exhausti in animi deliquium incidunt et tempore aliquo praeterlapso, ubi motus cordis intercipi et omnes omnium organorum functiones quasi quiescere videbantur, vinculis illis quasi laxatis, refecti in vitam redeunt. Miseri vitio cordis organico laborantes interdum animi deliquio occupantur, sic ut morti paene succumbere videantur, mox autem respiratio intercepta denuo incipit, cruciatus eorum levantur, et quasi e faucibus mortis recreati et ad miserias vitae suae longius perferendas paratiores expergiscuntur. Morbus omnium omnino longe atrocissimus, rabies canina, recentioribus inprimis temporibus venaesectionibus ad animi deliquium usque institutis curatur, et medici praestantissimi, omnem huius auxilii vim in lipothymia ponendam esse, recte, ut videtur, opinati sunt. Unusquisque ex animi deliquio resuscitatus, sensationes iucundas sub quibus abdormiverit nunquam satis extollere potest et in iis describendis ab omnibus cognitis similitudinibus destitutus, eas non nisi felicitati coelesti, post mortem nobis sperandae, comparare solet, sic ut hoc etiam phaenomenon clare demonstrare videatur lipothymiam non solum in sanguinis circuitu intercepto, et animi conscientia sublata, sed potius in magnis ac salutaribus naturae actionibus esse positum; quis autem mortalium mysteria ejus unquam perspexit? quis unquam perspiciet [1])? —

§. XVIII.

Natura morbis medetur quando materiam vitiatam sive morbificam a parte nobiliori in ignobiliorem, vel etiam e toto corpore in singulam partem deponit. Huc pertinent inprimis abscessus, aposte-

---

1) Dr. Nafse. Hufeland Journal. Bd. 42. St. 1 p. 49.

mata, furunculi, anthraces, et ulcera, quorum ope fomes morbi a partibus internis ac nobilioribus derivatur, quasi colligitur et e corpore expellitur. Quemadmodum interdum, exanthematibus prodeuntibus, vehementia morbi cujusdam quasi infringitur, sic etiam abscessus et apostemata varios morbos, partim levare partim tollere videntur. In omnibus fere febribus, nervosis, putridis, et intermittentibus, natura sola interdum abscessum provocando auxilium adfert, et sanitatem restituit. Imo in ipsa peste anthraces, nil nisi abscessus critici sunt, quorum ope alma medicatrix natura, pestiferum illud miasma, quod vitam extinguere minatur, ejicere molitur. Passim apud auctores exempla leguntur, quibus varii morbi v. c. dolores capitis, susurrus aurium [1]) catarrhus, palpitatio cordis. oculorum affectiones, dysenteria, morbi hydropici, morbus hypochondriacus, melancholia, mania, paralysis, phthisis, [2]) rel. materia vitiata in summam cutim vel ad alium locum idoneum amandata et abscessu ibidem formato, evanuerunt. Natura etiam abscessibus et suppurationibus utitur ad corpora aliena expellenda. Sic etiam suppurationes partium internarum, stagnationes, indurationes, quin imo scirrhi feliciter cessare videmus, simulac abscessus ad partes externas fiunt, et vel pus vel acrimoniae quae dicuntur ab interioribus in exteriora transferuntur.

§. XIX.

His vero observationibus methodus illa curandi nititur, qua medici, novum morbum in corpore aegroto artificio quodam provocando, sanitatem restituere tentant, et sic naturae vestigiis ingredi conantur.

---

1) Fr. Hoffmann med. rat. Tom. III. p. 341.

2) Consbruch in Hufeland Journal der p. H. Bd. 27. St. 1. p. 111. Richters Anfangsgr. d. Wundarzk. Bd. 1.

§. XX.

Saluberrimus ulcerum artificialium in medicina usus atque effectus, ob omnibus iisque sagacissimis medicis laudatur. Etsi vario modo, emplastro cantharidum, cortice mezerei. setaceo, remediis causticis, adustione rel. excitentur, omnia tamen inprimis eo spectare videntur, ut corpus a gravioribus malis liberetur et sanitas recuperetur. Inde ab Hippocratis summi medicinae parentis [1]) temporibus, ad nostrum usque aevum, adustio et suppuratio hoc modo instituta, in variis morbis v. c. in coxalgia, auxilium efficacissimum se praestitit. Inter morbos autem, qui ulceribus artificialibus ad sanitatem perduci dicuntur, eminent inprimis omnes morbi chronici, metastatici, antagonistici, rheumatici, scrofulosi, et exanthematici [2]) qua re etiam a medicis gravissimis in doloribus capitis pertinacioribus ac inveteratis, in mania, melancholia, [3]) fonticuli, vel in capite ipso, vel in brachio profundius inusti, valde laudantur. Idem valet de efficacia ulcerum artificialium in morbis oculorum, in amaurosi, [4]) ophthalmia serofulosa rheumatica, [5]) varicosa etc. In difficultate auditus, in lippitudine oculorum, in fluxu aurium, in affectionibus pectoris, ubi natura ipsa haud raro ulcera in pedibus excitat, eam non sine magno emolumento imitamur, neque exempla desunt, quibus phthisis, asthma, tussis, ulceribus artificialibus excitatis, evanuerunt. In exanthematibus

---

1) Lib. vi. aph. 60.

2) Fr. Hoffmann opusc. p. 543.

3) Hildanns cent. IV. obs. VI. VII. Horns Archiv, Reil Fieberlehre Bd. 4. §. 84.

4) Beer Lehre von den Augenk. Bd. 2. p. 419. Richter Anfangsg. der Wundarzk. Bd. 3. p. 264.

5) Fr. Hoffmann l. c.

pertinacioribus, v. c. in herpete, tinea f., rel. medico auxilium gravissimum praebent. Vulnus a morsu canis rabidi in ulcus mutatur et suppuratio per octo vel duodecim septimnas sustentatur, id quod ab omnibus auctoribus, auxiliis contra hydrophobiam efficacissimis adnumeratur. Fonticuli extravasata et materies stagnantes emolliunt atque discutiunt, sequelas inflammationum tollunt, [1] erysipelas aliaque exanthemata, nec non vitae periculum, quod e suppressis secretionibus oritur, abigunt, et sic suffocationem et apoplexiam avertere possunt. Porro in omnibus spasticis morbis egregiam vim exerere valent, inprimis in epilepsia. Hippocrates, [2] ulcera capitis pueros a morbo caduco defendere, asseruit, quod effatum ab Arétaeo [3]), Hildano, [4] aliisque permultis affirmatur, ac multis observationibus extra omnem dubitationem ponitur. Tum ulcera artificialia in typho aliisque morbis populariter grassantibus ad infectionis periculum avertendum haud raro laudantur. Ex sententia chirurgorum experientissimorum, priusquam exstirpatio scirrhi et carcinomatis instituitur, fonticuli, quorum suppuratio, operatione facta, diutius adhuc diligenter adjuvanda est, in vicinia loci affecti excitentur necesse est, quae ratio praeterea etiam in omnibus ulceribus pertinacioribus ac inveteratis ineunda est. In hominibus bene nutritis, qui propter negotia sua a corporis exercitationibus abstinere coacti sunt, fonticuli plethoram et obesitatem impedire, ideoque varios morbos praecavere possunt. In tussi convulsiva, in hydrocephalo interno, nec minus in mania ope unguenti tartari stibiati ulcuscula

---

1) Hufeland Syst. d. prakt. Heilk, Bd, 2. p. 264.

2) lib d. morbo sacro,

3) lib. 2. de diut. cur. cap. 4.

4) Cent. 1. obs. 41.

suppurantia excitare solemus, quibus molesta illorum morborum symptomata mirifice levantur.

§. XXI.

Ex omnibus morbis artificialibus, quibus ad organisationem corrigendam et ad opportunitatem corporis ad morbos vitae perniciosissimos extinguendam utimur, insitio variolarum vaccinarum primum locum tenere videtur. Iam antea quidem variolas humanas, morbum perniciosissimum insitionis ope mitiorem reddere atque periculum ejus imminuere medici studuerunt, morbus vero arte excitatus multum periculi secum ferebat, donec Iennerus, vir ille egregius, vaccinatione inventa optime de salute generis humani meruit. Variolis vaccinis innumeri fere homines vitam sanitatemque debent, siquidem illae non solum morbum ipsum i. e. variolas humanas, sed etiam omnes ejus sequelas aeque exitiales v. c. phthisin, resolutiones, surditatem, coecitatem, cariem et alias corporis mutilationes ac deformitates feliciter avertunt. Praeterea variolas vaccinas interdum in alios morbos e. g. in atrophiam in morbum scrofulosum [1]) etc. salutiferum influxum habere, experientia nos docuit.

§. XXII.

Morbillorum quoque insitio vel lacrymis, scilicet in stadio florescentiae, vel sanguine e macula morbillosa exhausto effecta, non sine utilitate instituta, inprimis vero in epidemiis malignis laudanda est. De insitione scabiei jam antea men-

---

1) Hufeland Journal. Bd. 28. St. 4. p. 114.

2) Hufeland System d. prakt. Heilk. Bd. 2. p. 166.

tionem injeci. In omnibus casibus ubi exanthemata retropulsa, ulcera praemature sanata rel. vitae periculum minitantur, vel morbum ipsum vel saltem, ubi ars illud praestare non potest, alium ei analogum provocare eoque modo vitam servare studemus.

§. XXIII.

Ex ceteris morbis artificialibus, qui interdum vim salutarem exeruerunt, helleborismum veterum cuius in morbos mentis efficacia uno quasi ab omnibus ore extollitur; curandi methodum quae nausea morbos sanat (Ekelkur) et inprimis a Haslamo et Ferriaro in morbis psychicis laudatur, nec non salivationem, qua, etsi non semper requiritur, in morbis syphiliticis [1]) in herpete, in tumoribus et indurationibus glandularum pertinacioribus interdum carere non possumus, obiter tantum commemoravisse, sufficiat.

§. XXIV.

Ex cunctis hisce medicorum observationibus hucusque commemoratis, vis morborum certis quibusdam sub conditionibus corpori salutaris luculenter intelligitur, siquidem ea testimoniis medicorum fide dignissimorum inititur. Modus autem quo illud fieri potest, ab antiquissimis temporibus multis disquisitionibus occasionem praebuit. Infitias eundum non est, quamvis medici illustrissimi sententias suas de phaenomeno illo patefecerint, nihilominus tamen nostris etiam temporibus inter aenigmata naturae illud referri,

---

1) Hecker Journal der Erfind. Theor. u. Widersp. St. 6. No. 11. p. 136.

medicorumque explicationes ad unam omnes non nisi hypotheticas, minime vero certas atque evictas esse. Momenta autem gravissima, a quibus mirifica illa morborum vis fortassis dependet, inprimis tria esse videntur, sympathia sive consensus, antagonismus atque metastasis.

§. XXV.

Omnia corporis humani organa in unum eundemque finem, scilicet ad integritatem organismi servandam et restituendam consentiunt et omnes eorum actiones intime inter se conjunctae sunt, sic ut a laesione unius ac singulae partis tota corporis machina in actionibus suis perficiendis turbationem aliquam patiatur. Etsi jam ab altera parte haec ipsa organismi humani ratio, fons multorum malorum esse potest, ab altera etiam intimus ille omnium partium connexus praesidio est et ipsa natura medicatrix iisdem viribus, quibus vitam et sanitatem tuetur, etiam morbos gignit solvitque, sic ut unica tantum vi vitali opus sit, quae omnes ac singulas partes in unum quasi conjungat, actiones earum moderetur et una saepe ad alteram conservandam utatur. Nervi, vasa, membranae, tela cellulosa sunt instrumenta et quasi conductores, quorum ope omnia corporis systemata inter se cohaerent, et affectiones unius partis in alteram propagantur, unde sympathia sive consensus partium oritur. Omnes igitur partes mutuam alunt sympathiam, quae autem in aliis quoad structuram et functiones similibus manifestior est, et magis sub adspectum cadit, quam in aliis quarum structura et functiones magis inter se differunt. Ex his igitur intelligi potest, quo modo eveniat, ut non omnes partes ab affectione singulae unius eodem in gradu in consensum trahantur, sed potius sympathia partium singularum specifica locum habeat, quae autem inter cerebrum et plexum solarem manifestissima est. Uti

vero consensus ille sanitate integra maximi momenti est, sic etiam in morbis, ubi phaenomena inde producuntur, quae saluberrimum effectum exerere et indolem morborum vario modo mutare possunt, et plurima symptomata fortassis nilnisi effectus hujuscemodi sympathici habenda sunt. Per consensum nimirum sive per vim plurium organorum sociatam, morbus primarius vel causa ejus sufficiens haud raro feliciter tollitur, id quod actione singulae partis nunquam fortassis contigisset, eoque modo morbus universalis topico auxilio esse potest. Morbi topici interdum certum debilitatis gradum, ut sanentur, requirunt, et his etiam in casibus actiones aliarum partium consensuales salutares esse possunt, siquidem morbi universales celerius atque facilius ad debilitatem inclinant quam locales. Sympathiae ope stimulus localis febrem excitare valet et tali omnium systematum exaltatione morbus topicus v. c. scirrhus, indurationes glandularum, abigitur et aequilibrium sublatum restituitur.

§. XXVI.

Ad integritatem oeconomiae animalis aequilibrium virium ac motuum corporis necessario requiritur, simulac autem illud turbatur, varia incommoda inde oriantur necesse est, quae autem maximam partem naturae ipsius auxilio tolluntur. Organismus animalis ita instructus est, ut affectiones unius partis contrarias affectiones aliarum partium inducant, quae facultas antagonismus vocatur. Actionem igitur partis unius cujusdam adauctam imminuta alterius sequitur et contra. Quemadmodum autem vis illa antagonistica variis morbis originem praebet, sic ab altera parte haud raro morbos persanat, qui salutaris effectus inprimis translatione et derivatione inniti videtur. Derivatio autem duplex est, virium atque materiae. Nova excitatio partis cujusdam, organis an-

tea morbose affectis vires detrahit, quo modo actiones eorum morbosae tolluntur. Cum autem omnes actiones partium adauctae cum largiori humorum adfluxu conjunctae sint, non solum vires sed ipsa materia, quae in vitio est, ab una parte in aliam derivatur. Praeterea virium exaltatio interdum morbos derivare videtur, dum nimirum irritatio localis in alias partes vel in totum corpus propagatur, ea actionum universi corporis exaltatio fieri omnino potest, quae ad statum morbosum corrigendum necessaria fuit. Huc pertinet v. c. curatio morborum suppressorum, qui fere semper revocationem actionis morbosae incaute suppressae exposcunt.

§. XXVII.

Hac naturae lege doctrina etiam de metastasi fundata est. Notio metastaseos est duplex, fit nempe vel per excretionem, qua omnes criticae evacuationes intelliguntur, vel per depositionem, qua materia morbosa ab una parte in aliam quasi dejicitur. Hoc genus legibus antagonismi nititur. Metastases etiam in salutares et perniciosas dividuntur. Quodsi nimirum materia morbosa a parte sive a sede sua in aliam decumbit, et quidam ab ignobiliori in nobiliorem, eventus ejus haud raro funestus est, sed de metastasi hujus generis hoc loco sermo esse non potest. Interdum autem fit, ut materia, quae in vitio est et propter loci dignitatem periculum minitatur, sedem suam deserat et in aliud organon minoris dignitatis transferatur, sic ut organa a materiis, quibus morbus originem debet, vel quae in decursu morbi demum depositae sunt, liberentur, et corpus, illis expulsis, ad sanitatem reducatur. Sic igitur metastases etiam natura mediante salutares esse possunt.

§. XXVIII.

Haec igitur sunt quae de vi morborum salutari memoratu digna mihi videntur. Omnia medicorum praestantissimorum tam veterum quam recentiorum opera, quae mihi ad manus fuerunt, diligenter perlegi, et in exemplis eligendis, ut medicis, fide dignissimis tantum fidem haberem sedulo curavi. Finis dissertationis angustiores sunt, quam ut tantam quaestionem plane solvere liceat, ideoque monenta gravissima tantum commemoravisse sufficiat.

THESES DEFENDENDAE.

I. Omnes opiniones de sede animae incertae sunt et firmis argumentis probari non possunt.

II. Ad conceptionem semen in ipsum uterum et in tubas Fallopianas penetret necesse est.

III. Remedia diaetetica pharmaceuticis longe anteponenda sunt.

IV. Causa morborum proxima a morbo ipso non differt.

V. Sanatio blennorrhoca hydrargyro effecta blennorrhoeam syphiliticam fuisse minime testatur.

VI. Scirrhus ab induratione distingui nequit.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego Ioannes Fridericus Henricus Sproegel anno millesimo septingentesimo nonagesimo Derenburgii in ducatu Halberstadiensi natus, patre usus sum Friderico Sprögel. Prima bonarum artium et litterarum elementa in schola urbis patriae meae addidici et postea gymnasium Halberstadiense per tres annos frequentavi, ubi in litteris et artibus humanioribus magis praficerem. Anno millesimo octingentesimo decimo Berolinum me contuli, ut in desciplinas quae artem salutarem constituunt, incumberem, ibique ab Ill. Knape tunc temporis Decano collegii medici studiosis, postea vero, universitate litteraria regia munificentia condita, a Rectore Magnifico Ill, Schmalz civibus universitatis Berolinensis adscriptus sum. Praelectiones quibus inde ab eo tempore interfui, sunt fere hae: botanice beati Wildenow, physice et pharmacia Ccl. Turte, chemia Ill. Hermbstaedt, logice beati Kiesewetter, osteologia et syndesmologia Ill. Knape, anatomia universa et organorum sensuum nec non physiologia Ill. Rudolphi, pathologia generalis et chirurgia medica beati Hecker, pathologia specialis Ill. Horn, materia medica et therapia tam generalis quam specialis Perill. Hufeland, chirurgia specialis Ill. Graefe, acalogia, doctrina de fracturis et luxationibus nec non de operationibus chirurgicis Ill. Mursinnae. In anatomia practica Ill. Rudolphi et Ill. Knape me instituerunt. — Bello in Hispania vehementius exardescente, rex Westphaliae copias auxiliares conscripsit, quibus et ego adsignatus sum; cum vero

me sistere recusaverim patrimonium meum fisco, publico addictum est, quare studia mea intercipere et in exercitu Borussorum chirurgi munere fungi coactus sum. Mox autem bellum Gallico-Russicum efflagravit, quo saeviente in nosocomiis castrensibus negotia chirurgi administravi. Pace anno millesimo octingentesimo decimo quarto reconciliata, dimissionem quidem rogavi, bello autem iterum conflato, cum exercitu Borussorum in Galliam profectus sum. Pace restituta et dimissione mihi concessa, anno millesimo octingentesimo decimo sexto ad studia mea recipienda Berolinum redii, et praelectiones iterum frequentavi. Imbuerunt me Ill. Berends doctrinae de morbis longis, Ill. Horn therapiae speciali. Splanchnologiam et medicinam forensem Ill. Knape mihi tradidit; akiurgiam Ill. Graefe, pathologiam generalem, semioticem et therapiam tam generalem quam specialem Ill. Hufeland, artem obstetriciam autem Cel. Kluge me docuerunt. Institutionibus medico-clinicis Perill. Hufeland et Ill. Horn, chirurgico-clinicis Ill. Graefe et Ill. Rust et obstetriciis Ill. a Siebold interfui. Cursu tam anatomico, quam chirurgico, tentamine et examine rigoroso feliciter absolutis, post dissertationem publice defensam, spero ut summi in medicina et chirurgia honores, in me conferantur.
